

Q. 520, 40

(X 1853630)

II,

IIa

777

IACOBI VVOLFFII

Phil. & Medic. D. & Prof. Extraord. Academiae Leopoldino-Imper. Cur. Adjuncti

PROGRAMMA

De

ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΙΣ

QVO

IVVENTVTEM STUDIO SAM MEDICAM

AD

Lectiones Publicas

DE INFANTILIS AC PVERILIS ÆTATIS

DIÆTA ATQVE MORBIS

perhumaniter invitat

HIS IPSIS

DISSERTATIONCVLAM

De

I E N A

STVDIIS MEDICIS ACCOMMODA

PRÆMISSVRS DIE XVIII IVNII cl5 Ioc XC.

I E N Æ

typis NISIANIS.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the words "PROGR" and "KONZ".

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the words "KONZ" and "PROGR".

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the words "PROGR" and "KONZ".





DE ΑΤΤΟΔΙΑΚΤΟΙΣ quid sit sentien-
dum, & quo plerumque habeantur in æsti-
mio, nemini non inter Eruditos arbitror
constare. *Magistrum sibi quemlibet esse*
pessimum, propemodum in parcemiam abiit.
Jacobus Horstius, clarissimi nominis Philosophus & Medi-
cus (a) queritur, quod *αυτοδιδακτοι* indocti in Me-
dicam artem irruant, atque summos honorum titulos am-
biant alicubi atque auferant. Dum Illustris quondam
Noster, ac verè *Σαυμάσιος* (rumpantur utilia Zoilis) Wer-
nerus Rolfincius scribit (b) in Academia Patavina *αυτοδι-
δάκτες* æquè ac alios alterius adversæ partis informatæ, vi-
delicet edoctos lauream reportare, haut obscure ostendit,
quò animò in hoc hominum genus fuerit. Cæterùm vo-
cem *αυτοδιδάκτων* quidam laxiùs usurpant, eorundemque
censui annumerant, qui nullò equidem humanò, sed ma-
gis sublimi doctore, nimirum Deo Opt. Maximo, nec non
qui Cacodæmone magistrò assistente docentur atque in-
formantur. In *αυτοδιδάκτες* illos Dæmoniacos, ac meri-
tam illorum censuram perdoctè iuquisivit rarioris vir do-
ctrinæ, atque o utinam vitæ longioris, Hieronymus Ior-
danus, Gottingæ primum, post in patria Brunsvico Physi-
cus, dirà illà lue Brunsvicensi sublatus, libro aureo *de eo*
quod divinum est in morbis (c) Et verò dolendum, ac
tantùm non falsis deplorandum lacrumis, in artem no-

A 2

stram

(a) in Epistol. Phil. Medic. p. 599. (b) de Vegetabilibus p. 32.

(c) cap. IX. p. 36.



stram involasse haut paucos horum hominum lymphaticorum: qui tamen denique dignissimam futillum laborum suorum mercedem, hoc est, divinas iras, ac poenas acerbissimas retulerunt. At enim si ad Deum, bonorum omnium, atque adeò divinæ medicinæ auctorem respicimus, omninò quidam nobis se offerunt *αὐτοδίδακτοι*: quippe qui Deum Opt. Max. utpote non modò summè misericordem animarum creatorem, sed & singularem corporum medicum ita agnoscunt, ut sanctæ ejus revelationi plurima artis nostræ referant acceptum. Quo etiam accenseas, quòd per insomnia, nec non casus insolentes alios divina bonitas insignia quædam medicamina detexerit, eoque miseris mortalibus admiranda ope subvenerit. Quæ simia Dei Diabolus stolidè imitatus cæcæ Gentilium superstitioni locum fecit in fanis ac delubris Deorum sanitatis causa incubandi. Quo in argumento occupatur lectissima dissertatio (d) pereximii tunc juvenis, post Medicæ artis, omnigenæque literaturæ verè inclyti Atlantis, & non suæ modò Iuliæ, sed totius Germaniæ deliciæ Henrici Meibomii. Diabolum quoque docuisse medicamenta Samuel Sturmius *de medicis non medicis*, (e) Sophronius Kozakus *de Sale* (f) aliique observarunt. Et si fas est mea afferre, in Scrutinio Amuletorum non pauca hujus commatis me congesisse, puto. Inter Medicos Satanæ Discipulos forsan non immeritò retuleris Paracelsum illum, Cacophraستي potius, quam Theophrasti nomine dignissimum: utpote cujus cerebrum Bombastinum non solùm vanis ac malesvadis bombis, sed & gerris ac affaniis ita repletum, ut deliria verborum pariter ac rerum portenta crebro eructaverit. Quid dicam de Hieron. Cardani patre, quem septem spiritus immundos quotidie ipsi inservientes, ac medicamenta sug-

(d) Helmst. edita ann. 1659. (e) p. 5. (f) p. 128.

gerentes habuisse, non verecundatur profiteri filius, cetera quidem doctissimus, sed interdum homini emotæ mentis non absimilis. Præterea aliud *αὐτοδιδάκτων* genus reperias, qui nimirum entusiasmo vel infuso habitui, tum in disciplinis aliis, tum etiam in medicina inhiant. Citharædus ille Homericus: (g)

Αὐτοδιδάκτω δ' εἰμι. Θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἶμας
Παντοίας ἐπέφυσεν.

*Ipse verò à me doctus sum; Deus mihi in mentibus
cantilenas*

Omnigenas in sevit.

Fortassis etiam Poëtas huic classi annumeraveris prolixè gloriantes:

Est Deus in nobis agitante calefcimus illo!

Non deest alia Poëtarum turba suam cum Geniis familiaritatem extollens. Eò fortè furor ille ac raptus Poëticus fuerit referendus, de quo inter cæteros Martinus Schockius *de Ecstasi*, ac singulari libello Petrus Petitus, egerunt. Medicorum nothis potiùs, quàm gnatis accensendus, Iohannes Baptista Helmontius, mirabilis per ignem Philosophus: dum nescio quos pietatis montes ac intelligentiæ abyssos circumspexit, eumque, de quo paulo ante dicebam, habitum infusum somniavit; sed aliis verè piis, verè sapientibus atque prudentibus se deridendum propinavit. Verùm enim verò omnes illos ac singulos nunc missos facientes, de iis tantum *αὐτοδιδάκτοις* dispiciemus, qui suo ingenio, suis viribus, iisque minimè suspectis nixi, ad accuratiorem disciplinarum artiumque variarum culturam, absque viventium magistrorum ope pervenerunt. Heraclitus Ephesius Philosophiam omnem inter veteres nullo doctore percepit. Idem de Manlio equite Plinius, de se ipso

A 3

Au-

(g) *Odyss. XXII. v. 347.*

Augustinus prodidere. Hoc ex recentioribus Cujacio in
jurisprudencia, Budæo in humanioribus literis, Mureto in
arte oratoria obtigit. De se ipso narrat Iovianus Ponta-
nus, quod versus facere, cœli cursum metiri, destitutus
Præceptorum ope, didicerit. Gvilielmus Postellus in lin-
gvarum pene omnium cognitione, Petrus Ramus in Phi-
losophiæ studiis sine magistri adjumento rem omnem con-
fecerunt. Tanaquil Faber in Græcis se esse *αυτοδιδασκτον*
professus est. Quam quidem exemplorum farraginem
summi Polyhistoris Danielis Georgii Morhofii limatissimo
Polyhistori (h) me debere, lubens meritòque profiteor.
De Epicuro, fortean non tam malo, ac vulgus quidem putat,
gemina tradidere veteres. Petrum Abelardum Gallum,
qui medio seculo duodecimo Philosophiam ac Theologi-
am docuit Parisiis, nullo doctore mirificâ doctrinâ excel-
luisse, sequens ejus docet epitaphium:

Ille sciens quicquid fuit ulli scibile vicit

Artifices, artes, absque docente docens.

Neque tamen ignoro inscriptionem illam ab aliis aliter
conceptam efferri. Quid dicam de docto illo, ceu eum
vulgo vocabant, agresti, Nicolao Schmidio, Kuntzelii no-
mine propemodum celebriori? Hic enim, licet annum a-
gens sextum decimum, nondum legere literas, nondum
pingere potis, postea tamen libros multifariis lingvis con-
scriptos Potentissimo Electori Saxonix, ac Illustri Dyna-
stæ Rutheno Gerano obtulit. Extat de hoc ipso rurico-
la Ioannis Rudingeri Poëma, cujus aliqua juvat afferre.

Te Chaldaus, Arabs, Græcus, Syrus, atque Latinus,

Quisque sua lingua percipit aure loqui.

Est insigne Dei donum, doctore carentem

Tot linguas à se discere posse virum.

Ingenuas artes toceo. &c.

Sed

(h) Lib. I. cap. I.

Sed & medicina nostra non paucos novit, qui suapte industria & Marte, quòd ajunt, propriò, emergentes summam doctrinæ ac praxeos famam indepti sunt. Ludovicus Bilsius annò ætatis tertiò decimo sponte sua cultrum anatomicum versare incipiens, jugi ejus culturâ tantum in hoc perfecit studio, quantum ante eum pauci. Gemina ferè de Nicolao Stenone referunt: qui o utinam frequenti in Anatome peritiam, quam nullo duce aliò acceperat, unice fuisset profecutus. Certè illum non tam eductum, quàm totum ad hoc studium fuisse natum, Vir amplissimus Simon Pauli, qui per se itidem Botanicen ac Anatomem admodum feliciter didicit, in *Quadripartito Botanico* (i) professus est.

Vt ut autem ejusmodi exercitium ac usus cujuscunque artis ac disciplinæ frequentior nequaquam vituperandus, sed summè potiùs commendandus est, utpote perfectum demum artificem, numerisque omnibus absolutum faciens; paucissimis tamen hæc obtingit fortuna, ut sine prompta hodegi dextra, viæ rectæ insistant, ac sine vivis doctoribus ad recondita Musarum penetralia rite deducantur, optimasque doctrinas imbibant. Paucissimis enim *Φιλομάθεσι*, cum primis in Medicinæ studio, sanè nimium quantum diffuso, ac ob sectas varias, & interdum mirabiles, methodosque multiplices in partes scisso, itemque noviter inventa, aliis semper accessionibus aucta, accidit, ut sine fideli, ac erudito ductore emergant; ut adeò Nasonis in eos quadret elegus:

Ut stat & incertus quò sit sibi nescit eundum,

Cùm videt ex omni parte viator iter.

Nec minùs huc faciunt illa Comici: *Eunt huc, illuc: cùm illinc venturus est, ire illuc libet. Incertus errat animus.*

Præ-

(i) p. 628.

Præter propter vitam vivitur. Proinde si ullibi, certè in
Medicina locum habet poëtica illa interrogatio:

Dic quibus ex libris & eris mihi magnus Apollo,

Altera nunc meliorque viri sententia constet?

Eleganter, ut omnia sua, Annæus Seneca Epist. XXII. *Nemo
per se satis valet, ut emergat: oportet manum aliquis por-
rigat, aliquis educat.* Idem Epistola XCIV. *Imbecillioribus
ingeniis necessarium est aliquem præire: hoc vitabis, hoc fa-
cies.* Præterea, si expectat tempus, quo per se sciat, quid
optimum factu sit: interim errabit, & errando impiedietur,
quò minùs ad illud perveniat, quo possit se esse contentus:
regi ergò debet, dum incipit posse se regere. Pueri ad præscri-
ptum discunt, digiti illorum tenentur, & aliena manu per
litterarum simulacra ducuntur: deinde imitari jubentur
proposita, & ad illa reformare chirographum: sic animus
noster dum eruditur, ad præscriptum juvatur. Commo-
diùs omninò iter aliquis absolvet ac feliciùs, qui cum fido
comite ac viarum gnaro illud fuerit ingressus; quàm qui
cœcò impetu per anfractus ac devia solus oberraverit: nam
nisi aliis periculis reddetur obnoxius, insignem tamen uti-
lissimi temporis jacturam faciet. Multi profectò unius
horulæ spatiò in acroateriis publicis privatisve à piis, doctis
ac usu præstantibus doctoribus acceperunt ea, quæ alii per
complures annos magnis impensis, maximòque labore in-
dipisci nequiverunt. Faciliorem itaque ac longè felicio-
rem sibi polliceri habent studiorum suorum successum, qui
vivos præceptores primum, post & mutos secuti, in tempore
cavere discunt cavenda, usui autem futura præceptorum
ductu indagant, ac animo tam diu reponunt, donec tempus
& occasio revocandis illis atque expromendis locum fecerit.
Et hoc quidem in re medica eò majorem habet vim ac effi-
caciàm, dum plures illius partes inspectione oculari, enchi-
resi

res atque demonstratione indigent: quæ quamvis interdum absque doctore peragantur, nunquam tamen tam citò, tam aptè se insinuant in mentes, quam si ipsius fides ac dexteritas accesserint. Quæ cum ita se habeant,

Quod natum Phœbus docuit, quod Chiron Achillem,

Quod didicere olim Podalirius atque Machaon

A genitore suo

nos quoque à magistris nostris eruditione atque fide præstantibus hauriemus. Maximus ille Medicorum, medicæque scientiæ conditor Hippocrates ad hanc necessitatem pariter ac utilitatem Præceptorum respiciens, à Medicorum filiis fidem, gratum animum, ac observantiam sanctissimo etiam jurejurando exegit: cujus sinceram, & à gentilitatis quisquiliis repurgatam partem meritò retinemus, observamus, ac veneramur. Non solùm autem acroasis firmiores in animis radices agit ac solidiores; sed eò ipsò etiam optimos quosque docentium mores, gestus, loquelam imbibimus, ut & conversandi cum ægrotis studium: quo magna pars felicitatis medicæ absolvitur. Nam plerumque, qui proprio indulgentes genio vitam amplectuntur solitariam, difficulter non modò proficiunt, verùm moribus etiam advesiunt morosis ac inconditis, undè non nisi sibilos, sannas, risus ac ludibria reportant. Quid? quod horridas sæpe ac monstrosas concipiunt opiniones, quibus fovendis, poliendis, palliandis, incrustandis dum desudant, præ fastu sive melancholica quapiam dispositione, turbas concitant, ac ima supernis miscent. Quantum præterea momenti in conversatione situm, probè intellexit ante laudatus *Seneca*: ex cuius epistolis si pluscula attulerimus, nequaquam extra oleas nos crediderimus vagaturos. *Plus inquit, Epistola VI. viva vox & convictus quam oratio, proderit. In rem præsentem*

venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt; deinde quia longum iter est per praecepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleantes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vita ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. Plato & Aristoteles, & omnis in diversum itura sapientum turba plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermachum & Polyanum, magnos viros, non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Et Epistola XCIV. Nulla res magis animos honesta induit, dubiosque & in pravam inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paullatim enim descendit in pectora; & vim praeceptorum obtinet, frequenter audiri, aspicere frequenter. Occursus mebercule ipse sapientum juvat: & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias, nec tibi facile dixerim, quemadmodum proficit, sic ut illud intelligam profuisse. Minuta quaedam, ut ait Phaedo animalia cum mordent, non sentiuntur: adeo tenuis illis & fallens in periculum vis est. Tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientum eveniet, non deprehendes quemadmodum aut quando tibi proficit: profuisse deprehendes. Tanto ex antiquitate doctori jungamus inter juniores virum sapientem & prudentem, qualis certe est Morhofius, loco superius laudato scribens: Accedit, quod qui πολυμάθεϊας studio primum se dederunt, si cerebrosiore paululum sunt, & opiniosi, non facile ad aliorum consilia in discendis artibus se accommodant, sed sibi plerumque semitam sapiunt. Accidit enim illis, quod plantis sponte provenientibus, quae in sylvestrem naturam abeunt, cum nulla cultura coercentur. Quo fit, ut dum aliorum judicia contemnunt ἀποδιδάσκουσι, è pervicacia

cia erroribus patrocinium querant. Inprimis verò quanta vis sit conversationis, in urbibus observes Academicis, utpote quæ multum veteris squaloris ac impolitix deponere, atque abjicere cœperunt, sic ut tandem in medio vulgo mores haut quaquam vulgares deprehensi sint. Commonstravit hoc inter alia B. Profocer meus Thomas Sagittarius, illustre quondam hujus Academiae decus, aureola illâ disputatione *de summa illarum urbium, in quibus Academia erecta sunt, felicitate,* anno præsentis seculi XVII. edita: quam scriptunculam proinde dignam censuit, quæ Germanicò vestiretur habitu, conjunctissimus affinis ac Collega noster D. Caspar Sagittarius. Veruntamen non hoc modò beneficium, sed innumera alia Salanæ Academiae debet Jenense oppidum, quippe quod à condito demum Vniuersali (ut vocatur) studio caput suum supra altissima montium suorum cacumina ad cœlum usque efferre cœpit. Cæterùm, quid moverit Celsissimum conditorem præ tot aliis urbibus Jenam nostram seligere, in quibus omnes artes ac disciplinae docerentur ac discerentur exquisitiùs, meum nunc non est copiosiùs exponere. Id scio, hanc Academiam, totamque hujus viciniam tam aptam, tam commodam studiis esse medicis, ut, si non aliis omnibus totius Europæ scholis palmam in hac causa præripiat, plerisque tamen eandem faciat dubiam. Quando quidem igitur non ita pridem ex *Clementissimo Serenissimorum Saxonie Ducum utriusque lineæ decreto,* publica Medicæ artis Professio extraordinaria mihi demandata, nec è re est Iuventæ discendi cupidæ, differre diutiùs publicas prælectiones, Deò feliciter annuente, in acroaterio Medico proximò *die Mercurii* hora II. pomeridiana easdem auspabor, *in dietam & morbos ætatis infantilis ac puerilis,* inquisiturus. Quibus laboribus exotericam præmittere
lu-

AK Ta 777


lubet oratiunculam de IENA studiis Medicis accommoda.
Hanc ut Nobilissima Juventus studiosa benevolè audiat, ac
porro docenti mihi constanter faveat, humaniter ac pera-
manter rogo. Scribebam die 15. Junii an-
no clc lcc XC.



... hoc inter alia B. Prolocutor...
... pondantibus Academicis...
... de summa...
... felicitate, anno...
... unquam...
... tur habitus...
... modo bene-
... debet...
... opibus...
... carum...
... catione...
... movere...
... nam...
... docentur...
... copiosius...
... huius...
... cis, ut...
... hac...
... Quando...
... publica...
... nec...
... cas...
... co...
... cap...
... quibus...

Handwritten scribbles in the bottom right corner.





B.I.G.

Farbkarte #13

QK. 5-20, 40

(X1853630)

II,



IACOBI VVOLFFII
Phil. & Medic. D. & Prof. Extraord. Academiae Leo-
poldino-Imper. Cur. Adjuncti

PROGRAMMA

De

ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΙΣ

QVO
IVVENTVTEM STUDIO SAM MEDICAM
AD

Lectiones Publicas

DE INFANTILIS AC PVERILIS AETATIS

DIÆTA ATQVE MORBIS

perhumaniter invitat

HIS IPSIS
DISSERTATIVNCVLAM

De

I E N A

STVDIIS MEDICIS ACCOMMODA

PRÆMISSVRVS DIE XVII. IVNII cl5 Ibc XC.

I E N Æ

typis NISIANIS.

